

AN 240.  
40.



MEMORIAE  
VIRI SVMME REVERENDI  
AMPLISSIMI DOCTISSIMIQUE  
CAROLI TRAUGOTT  
EIFERTI  
INSPECTORIS ET COLLEGAE SCHOLAE PORTENSIS  
ADHUC MERITISSIMI  
DESIGNATI PRAESULIS SACRORUM CIZENSIVM  
LONGE DIGNISSIMI  
D. XV JUNII CCCLXXXVII PLACIDE DEFUNCTI  
HOC GRATI ANIMI MONIMENTUM  
STATUERUNT  
ALUMNI ET EXTRANEI PORTENSES



NUMBURGI TYPIS VLIGIIS



## Elegia.

**H**eu! quam diverso miscentur moenia Portae  
Luctu! quae facies tristis ubique subest!  
Quis clamor tremulis mixtus plangoribus aedes,  
Natorum et Matri, sideraque alta ferit!  
Quantaque volvuntur lacrimarum flumina ab ore!  
Pectoribus totis vir juvēnisque dōlet.  
Occidit ah! nostrae rectorque paterque Juventae,  
Qui nos sincero junxit amore sibi:  
**E**IFERTI longa clauduntur lumina nocte,  
Ex quibus effusit nil nisi blandus amor?  
Obstupet heu! animus, gelidusque perambulat offa  
Per cunctos artus interiora tremor.  
**O** miseris hominum fortes, et inania vota!  
A luctu sociae vix gena ficea tori est;  
Cogimur ire iterum in lacrimas, rursusque querelas  
Poscimur, et moesta sondere voce sonos.  
Occidit, aeternumque vale clamavit in aevum,  
Qui decus ah! nostrae praesidiumque Scholae!  
**O**ccidit ante diem necopina morte peremptus!  
Nata die, gelida ceu rosa nocte perit.

Qui quanta divo nos mansuetudine verbo  
Ad verae duxit dulce salutis iter!  
Errantes o! quam blanda ad meliora reduxit  
Dextra, cum lacrimis supplice voce rogans  
Pro nostra, tacita nocte, o! quam saepe salute  
Ad Numen, vigilans fervida vota tulit  
Ergo nil juvit virtus, candorque probatus,  
Legitimum caderet quo minus ante diem?  
Nil vitae integritas, nullique obnoxia fraudi,  
Nil nostri a seculi saepe remota fides?  
Sistite sed luctus, moestas finite querelas,  
Sat doluere animi, sat maduere genae.  
Ecce! finu summi requiefecit Patris, et illic  
Jam redimit meritum justa corona caput.  
En! capit aeternum placidae optatissima pacis  
Gaudia, non ullis impedienda malis,  
Et cantat, supra nubesque notosque, triumphans  
Ter sacra cum sanctis carmina coelicolis.  
Scilicet ante diem Numen, ne mole premantur  
Curarum, justos in sua recta vocat.  
Heu! quot vita malis hominum turbatur acerbis!  
Quam saevo exagitante turbine fata pios!  
Fallor? an haec nobis fundit solantia ab alto  
Verba, velut rutilans Lucifer unde micat:  
,, Quid tantum insano juvat indulgere dolori,  
,, O quandam vitae pignora cara meae?  
,, Quid bona, te, queftus, Mater, lacrimaeque fatigant?  
,, Quid gemitis mortem, cara propago, mean?  
,, Hoc non evenit divo sine numine Patris!  
,, Contigit, in votis quod sicut usque meis.  
,, Summus, quem colui, Dominus, quem semper amavi  
,, Fido animo, junctum me jubet esse sibi.  
,, Nunc procul illa absunt, et absesse pericula laetor,  
,, Cura laborque omnis, quo undique cinctus eram.  
,, Amplius haud quidquam turbat nunc gaudia mentis,  
,, Quam petii a Domino, nunc quiete fruor.  
,, Vos, quos deserui, quem nunc mea lumina cernunt,  
,, Coelestis melius proteger usque Pater,  
,, Pergite rite Deum cafta modo mente vereri,  
,, Cujus vos nunquam poenituisse potest. "

X2943858

Vos igitur, lacrimosa cohors, qui fletis ademtum,  
Ponite nunc lacrimis, tristitiaque modum.  
**E**n! bona, quae nuper docuit, (meminisse juvabit,) Grandiloquus, pleno possidet ipse modo:  
Dictaque praesagis sacra quae protulit aede,  
Haec pius exemplo comprobat ipse suo.  
**E**IFERTI exemplum, o! Juvenes, quid vivere juste?  
Sit, doceat: quanta en! pace quietus obit!  
Haereat haec nostris animis morientis imago,  
Hic stimulus semper nos pietatis agat!  
**F**elix! o nimium felix! qui Patre vocante,  
Noster ut EIFERTUS, lumina claudit ovans.  
At magis est felix, is terque quaterque beatus,  
Qui jam aeterna tener gaudia, ut ille, poli;



VO 18

M.C.

